



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica
Recapitvatio**

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Quae post annum millesimum centesimum. Capvt XXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

argentum vendiderat Leodiensi episcopo. Moriente autem Godofrido, Baldwinus frater eius, in regno succedit, anno millesimo centesimo.

Quæ post annum millesimum centesimum.

C A P V T X X V I .

Anno millesimo centesimo vigesimo quarto claret venerabilis Norbertus fundator ordinis Præmonstratensis, qui cum suis multum laborauit Antuerpiæ, contra detestandam seductionem Tanchelini hæretici, qua eius urbis incolæ miserè & pertinaciter infecti erant. Crispini eremiticam vitam dicit S. Albertus presbyter. Fulgent circa eadem tempora, multa sanctitate & miraculis rusticani homines, sanctus Guido apud Bruxellam, qui obiit anno 1112. & S. Drogo apud Valencenas, qui obiit anno 1186 Ioannes etiam Morinensis episcopus regularis congregations monasterium Ibris ad S. Martinum construxit: quieuit anno 1130. Neque multo post S. Bernardus Belgum illustri sua prædicatione & monasterijs aliquot decorauit. Ex quo etiam duos habuit successores viros sanctissimos Robertum Brugensem, & Fastredum Camberonensem. Pertinet etiam ad hoc sæculum Caroli Flandriæ Comitis martyrium, qui pro iustitiæ defensione, in ipsa Ecclesia ante Beatissimæ Virginis Mariæ altare est Brugis occisus anno 1127. Paullo post vitam hanc cum meliori mutauit Rupertus Tuitiensis abbas ex Belgis: pietate in Virginem matrem, & eruditione clarissimus anno nimirum 35. Habuit etiam hoc sæculo Frisia insigne religionis accrementum, fundato per B. Fredericum horto beatæ Mariæ, ad quem velut

Hæretici
Antuerpiæ
à Norberto
extincti.

CHRONICA

ad aluearium virtutum, plurima religiosorum
conuolauit multitudo: estque hoc nostro sæculo
in adiutorium Lewardiensis episcopi, hortus ille
in Cathedrale Collegium mutatus. Obijt funda-
tor vir miræ pietatis anno 1175. Quem annis de-
inde octo secutus est Bernardus pœnitens ad S.
Bertinum in *sithiu* monachus: cuius memoria in-
cidit in xix. Aprilis. Prior his omnibus est Gerui-
nus secundus abbas in *Aldenburg*: cuius memo-
ria est in benedictione: quam accepit à iusto red-
ditore anno c. 1150. c. xvii. Anno xlviii. eius-
dem sæculi ex Palæstina Brugas allatus est San-
ctus Domini nostri Iesu Christi crux, per Theo-
doricum Alsatium Comitem,

Historia anni c. 1150. cc. usque ad ccc.

C A P V T xxvii.

Altro deinde sæculo non minus celebres a-
liquot in Belgio sancti claruerunt: quorum
breuiter memoria est percurrenda. Oignaci mi-
ra sanctitate claruit beata Maria reclusa: quam
cognoscere licet ex vita per Iacobum Vitriacum
Cardinalem, Oigniacensem religiosum, conscri-
pta. Mortalitatis autem huius onus exuit anno
millesimo ducentesimo decimo tertio. Beata ve-
rò Maria, quæ dolorosa appellatur, tametsi eo-
dem obijt sæculo, multo tamen est posterior: mi-
gravit illa martyr ad sponsum suum anno millesi-
mo ducentesimo nonagesimo. Venerabilis Mar-
garetula anno eiusdem sæculi vigesimo quinto
martyrium est Louanij perpessa, Achas puer
Thoroltanus anno vigesimo ad coronam cælestis
gloriæ vocatur. Iuetta apud Huyum reclusa anno
vigesimo septimo: qua uno tantùm anno poste-
rior